

tiam intrant. Cæterum Raimondus, ut oppida per Marcum occupata recuperaret, die decimosexto ejusdem mensis Quadringentum per vim capit, Teutonicos multos, qui ibi in hibernis præsidio erant, in vincula deducit, equis, & armis detractis, pretio flor. norum sex millium se redimendi potestate facta. Mox Occimiani incolæ sponte se se illi dederunt. Deinde cum peditibus mille quinquecentum ad Alexandrinum agrum conversus, illud longe, lateque populatur. At in spem potiundæ Derthonæ erectus, illuc citatissimo cursu properat. Marcus, qui vigilantissimo animo cuncta rimabatur, illum (1) antevertit, & uterque suis militibus explicatis potestatem præliandi facit, absque vero prælio recedunt; at Raimundus in itinere vicum, & oppidum Peceti occupat.

(1) Illumque MS.

MCCCXXII. Die decimoquarto januarii Mathæus Vicecomes una cum filiis, & fautoribus, qui jam excommunicatus Pontificia auctoritate fuerat, iterum per Obertum Sparovaram (1) fratrem Prædicatorem in Ecclesia S. Stephani Bergolii civitatis Alexandriae aqua, & igni, sacramentisque omnibus eadem auctoritate interdicuntur, maledicuntur, & privantur omnibus honoribus, regiminibus quorumcumque oppidorum, & civitatum ad tertiam, & quartam usque generationem: & pariter per eandem excommunicationem iudices interdicuntur, ne pro eis aliquam sententiam proferre audeant, & Notarii pariter instrumenta conficere. Si quis eorum bona caperet (2), posset penes se retinere, non secus ac si Pagani, Saraceni haberentur. Hæc adversus memoratum Mathæum facta fuerunt, ipso prius tamen citato ad se expurgandum de objectis. Origino Ghilino Mediolani quoque (3) divina interdicuntur, Schismatici, & Hæretici declarantur multi Abbates, & Prælati insignes coram Beltrando Poretto (4) Joannis XXIII. summi Pontificis legato advocantur. Deinde Mediolani Archiepiscopus, qui per summum Pontificem electus fuerat cum quatuor hæreticæ pravitate Inquisitoribus, vexillo sedis Apostolicæ erecto publice edicit, qui arma in Mathæum, & ejus filios moveret, mundum a pœna, & culpa fore. Hac voce audita multi sequuntur, præsertim Raimundus, qui territorium Alexandrinum depopulatur, & ad centum quinquaginta operarios vel capit, vel occidit, qui mox de mense aprilis a Marco apud Augustam Bagienorum magna accepta clade Valentiam se recipere compellitur. Tandem die vigesimoquarto mensis junii Mathæus Magnus Vicecomes obiit ætatis annorum septuagintaduorum, & humatur in Monasterio Grasenzaghi. Eodem anno Simonettus Scafisius (5) Præturam gessit civitatis Alexandriae (qui) urbs MS., investivit, atque in beneficium concessit in verum, & gentile feudum D. Priamo (6) Calcamuggio de filiis Ruffini, & hæredibus suis legitimis, & ex masculina linea nascituris tantum, nec non & D. Thomæ Calcamuggio, Nicolino Calcamuggio, Matio Calcamuggio, Pagano Calcamuggio Ascherii, Pagano Calcamuggio Petri, nec non & ejus descenditibus legitimis, & ex masculina stirpe orituris tantum de castro Sexadii (quod alias Cæsarium appellabatur) & de vesti-

gali exigi consueto in dicto oppido, & de medietate villæ, ac hominum ejusdem oppidi, cum medietate jurium, honorum, præstiteruntque fidelitatis juramentum, idque ex instrumento rogato per Johannem Gentium civitatis Alexandriae, & populi Notarium.

(1) Paragoriam MS. (2) Si quis eorum bona capere posset effici, si de persona ex prædictis posset &c. MS. (3) Mediolanice MS. (4) Poggetto MS. (5) Ghilin. Scapifio (6) Ghilin. Periano.

MCCCXXX. Tanarus fluvius ripas invadens ita transgressus est, ut pene Bergolium undis suis cooperuerit, multis domibus vi sua prostratis, & subversis; & ut nihil ad reliquum malorum esset, quod addi (1) posset. Marchio Montisferrati Bergolii territorium fere totum pervastat.

(1) Addere MS.

MCCCXXXIII. Luchinus Vicecomes, qui dominium Mediolani obtinebat, se Dominum Alexandriae declarari obtinuit; Alexandriaque ejus fidei se commisit.

MCCCXXXIV. Johannes Fornarius quinque filiis ornatus, Alexandriae civis, Genuam sedem domicilii sui delegit cum centum millium florenorum auri censu, ac in popularium numerum se adscribi, & recipi curavit.

MCCCXXXVI. (1) D. Gauzolanus, seu Caucaranus, quem nostrates appellant de Villagranada, Capitaneus populi declaratur. Hic (2) habebat auctoritatem maleficia disquirendi, & puniendi (3), ut ex inquisitione ejusdem colligitur, præsertim in his causis, quæ ad rempublicam, statumque pertinerent.

(1) Ghilinius refert ad annum MCCCXXXVII.

(2) Sic MS. (3) Exercendi MS.

MCCCXLII. Die sexto mensis maii cum controversia oriretur inter rempublicam Alexandrinam, & Albertum, Gullielmum Gottardum, Albertinum, & Francischinum Marchionem Incisæ de oppido Oviliarum, arbitri eliguntur Blasius Trottus Jurisconsultus, & Gullielmus itidem Marchio Incisæ, qui hoc eodem die Alexandrinis oppidum Oviliarum adjudicant, ita quod respublica eisdem certam pecuniarum summam repræsentaret.

MCCCXLVI. Die sexta novembris Odo Marchio Ponzoni, ac Vicarius Montisferrati Jordanum, Priamum, Anselmum, Bernardum Zoppum, Antonium, Gullielmum, Paulellum Bancellum, Andream, & Bernardum Calcamuggium, omnes de filiis Ruffini, in possessionem quartæ partis vestigalis, & omnium jurium per dictum Marchionem Ponzonum inducuntur nomine Marchionis Montisferrati, qui aliam dimidietatem villæ, & hominum Sexadii habebat una cum civitate Alexandriae. Eodem anno die vigesimo septembris Johannes Marchio Montisferrati Odone Marchioni Ponzoni injunxit, ut suo nomine in possessionem induceret Gullielmum, & Santellum (1) filios Anselmi Calcamuggii de filiis Ruffini in quartam partem jurisdictionis villæ Sexadii cum vestigali, & pertinentibus. (1) Gautellum MS.

MCCCXLVII. (1) Luchinus Vicecomes Mediolani Dominus legem tulit, prout carcerati, qui de jure possent, die Natalitio Resurrectionis, & Assum-